3.

Q. D. B. V.

ANALECTA QVÆDAM
AD
ORDINIS TEUTONICI
IN PRVSSIA
HOSPITALARIORUM
HISTORIAM
SUGGERIT,
INSIMVL AD
GYMNASII DRVSICI
ENCÆNIA
D. 28. NOVEMBR. A. R. S. 1743. MORE HORISQVE CONSVETIS
RITE CONCELEBRANDA
INCLVTVM REIP. ELBING.
MAGISTRATVM,
NEC NON RELIQVOS
CVIVSVIS ORDINIS ET DIGNITATIS
MÆCENATES
MVSARVMQVE FAVTORES
QVA FAS EST, VENERATIONE COLENDISS.
SVBMISSE, DEBITE ET PERAMANTER
INVITAT

GEORGIVS DANIEL SEYLER
ATHEN. RECT. P. P. ET BIBLIOTHECAR.

ELBINGÆ, LITT. PREVSSIANIS.

LITTERA PYTHAGORICA Y
VITAE HVMANAE BIVIVM
DICENDI ARGVMENTVM.

Prologus

JOH. CHRIST. ZIMMERMAN exoptatam DN. DN. PATRONORVM atque AVDITORVM præſentiam debite veneratus dicendorum proponet argumentum.

ACTVS I.

Scen. I.

GEORG. EPHR. THOMAS Humanæ vitæ diatypoſin ad *Cebetis tabulæ* modum expendet.

Scena II.

Chriſtian Ritter
Carl Daniel Laurentz
Johann Jſrael Feyerabend
Carl Andreas Silber
Peter Göbel
Chriſtian Silber
Daniel Teſchner
Gottfried Grapke
Wilhelm Truhart
Johann Jacob Rittersdorff

} de optimo vitæ ſtatu eligendo pro captu diſſerent.

Scena III.

ADAM HENR. RHODE Humanæ vitæ bivium *ſtylo elogiaſtico* adumbrans

CHRIST. JACOB. LAVRENTZ
JOAN. DOMINIC. HECHT
ISR. ALEXAND. VNTERBERG
JOH. ERNEST. ROSENBERG
OTTO WILH. WEDEKE

} adſtipulantes habebit, qui varia de origine & *arcano Litteræ Pythagoricæ ſenſu* proferent.

ACTVS

ACTUS II.

Scena I.

CAR. THEOD. BRACKENHAUSEN *Alcidem* fingens & de vitæ humanæ bivio ſollicitus à CAROLO FRID. TOLKEMIT *Virtutem* referente ad *anguſtam*; ſed ab HERM. GOTTL. REUSCHIO *Voluptatis* ſpeciem mentiente ad *latam viam* eligendam diverſimodè ſollicitatur.

Scena II.

Caſpar Hanff Johann Hingelberg Abraham Thieſſen Gottlieb Thomas Achenwall Petrus Kaverau Gottl. Friderich Sager	De *virtutis* & *honoris templo* diſſerentes *varios* illuc evadendi *gradus latino carmine* enarrabunt.

Scena III.

Chriſtian Gottlieb Thieſſen Jacob Preuß Martin George Schmidt Johann Daniel Stibalkowski George Friedrich Henning Chriſtian Iſaac Hanff George Baranowski Martin Ephraim Schmidt Ephraim Rittersdorff Frantz Theodor Rhode	Idem fere argumentum; ſed *vernacula poeſi* pertractabunt.

Scena IV.

JACOBUS LEGAB factâ inter Pythagoræ litteram & Chriſti bivium comparatione, hujus præ illa præſtantiam graphice demonſtrat.

ACTUS

ACTVS III.

Scena I.

ISAACVS FEYERABEND rejectâ, quam *ratio* ſvadebat eligendi ſententia, *revelationis* media commendat.

Scena II.

Ephraim Maaß Gottlieb Foß Johann Braun Johann Wilhelm Mittag Jacob Konopacki Johann Gottfried Haußmann	Eandem prorſus ſententiam ſed *vernaculo carmine* tuebuntur.

Scena III.

GEORG. FRID. SCVBOVIVS CHR. GOTTH. GRüTNER JOH. BENJAM. SCIBALSKI	Salutarem ad cœlum viam in *Gymnaſio* didiciſſe profeſſi debitis illud laudibus & Votis proſequentur.

Scena IV.

Carl Michael Lange Joh. Jacob Freymuth Carl Chriſtoff Kaverau Abraham Teſchner Jacob Rehagen Jacob Holſt	Ejusdem beneficii memores, ſolutis eapropter DEO & MAGISTRATVI debitis gratiarum actionibus, pro communi Reipublicæ ſalute pia Vota fundent.

Epilogus

CHRISTIANVS OEHM DN. DN. PATRONIS atque AVDITORIBVS pro benevole navata auſcultandi opera debitas aget gratias.

ANALECTA QVÆDAM
AD
ORDINIS TEUTONICI
IN PRVSSIA
HOSPITALARIORUM
HISTORIAM.

§. 1.

Quanquam ambabus, ut ajunt, manibus ſit concedendum, *Pruſſicæ hiſtoriæ*, ſive res politicas ſpectes ſive eccleſiaſticas & litterarias, tantam intra vicennium & quod excurrit, affuſam eſſe lucem, ut vel integra Scriptorum & materiarum compilari potuerit *Bibliotheca* a); unumquemque tamen patriæ hiſtoriæ gnarum pollicem haud difficulter preſſurum mihi opinor, plurima adhuc reſtare momenta, quæ aut emendatione opus habeant aut ſupplementis.

a) Quæ Tomo V. Pruſſ. Illuſtr. p. 1. inſerta, ac poſtmodum ſingulari Supplemento aucta ibid. ut & ſeparatim prodiit.

§. 2.

Exempli inter alia loco eſſe poteſt tradita hactenus de *Supremo Ordinis Hoſpitalario* notitia, quæ utut præter *Waiſſelium* a), *Hennebergerum* b), *Hartknochium* c), alios d), cumprimis à Viro Conſultiſſimo e) erudite ſatis & perſpicue propoſita, nonnullis tamen adhuc laborare dubiis videtur, quibus ad optatam ſagaciorum ſolutionem in medium prolatis, accuratiorem *Hoſpitalariorum ſeriem* tradere conabimur.

a) Chron. p. 104. b.
b) Chron. p. 15.
c) Diſſert. de Republ. veter. Pruſſor. §. 12. p. 418.
d) Erleut. Preuſſ. Tom. IV. p. 555.
e) Ibid. N. II. p. 36. ſeqq.

§. 3.

Ac munus quidem *Hoſpitalarii* inter prima antiquiſſimaque Ordinis ponendum eſſe, vel ex ipſa hujus patet fundatione, juxta quam equi-

equites alii *Germanorum*, alii *alienigenarum*, bello adversus infideles sauciorum curam gerere tenebantur. a) Atque hinc procul dubio est, quod Ordo iste, ea ætate speciali *Hospitalariorum* nomine insignitus fuerit, teste *Urspergensi*. b) Licetsi verò MATTH. WAISSEL ex Ordinis Chronico recte adfirmet, ipsum etiam Magistrum cum reliquis fratribus id muneris in se suscepisse; vero tamen simile est, crescente indies illorum numero, mox certos quosdam equites, boni ordinis causa, ad istud charitatis opus constitutos fuisse, cùm adhæc alia quoque ipsis peragenda essent munia.

a) Consvet. Ord. C. 1.

b) Chronic. p. 325. ubi verba sunt: *Imperatori* ao. 1228. *in terram S. transfretanti & ab omnibus fere derelicto* soli Hospitalarii de domo S. Mariæ Teutonicor. *fideliter adstiterunt*. Cit. R. DUELLIO P. I. Hist. Ordinis Teuton. Sect. II. p. 10.

§. 4.

Ordinem deinde Prussiam ingressum vigore fundationis suæ *Hospitalarios* quoque statim constituisse, extra omnem quidem dubitationis positum est aleam; mirum tamen videtur, nullam eorum apud Scriptores mentionem fieri præter solum HENRICUM v. ZEITZ, a. 1229. cum Hermanno Balca aliisque primi ordinis equitibus advenam. a) Sequeretur itaque exinde 1) Hospitalarii munus inter minora saltem Ordinis officia locum habuisse, neque 2) quicquam *Commendatori Elbingensi* cum eo commune fuisse, prouti ex *adnexâ serie* videre est, secundùm quam *Frid. de Wildenburg* primus est, qui *Hospitalarii* simul & *Commendatoris Elbing.* titulo usus fuit.

a) L. *David* Chron. p. 271. citante *Bayero* in Vita H. de Salza, quæ inserta legitur Continuirt. Gelehrt. Preussen 1. Quart. pag. 33.

§. 5.

Dubium tamen inde meritò oritur, qui factum fuerit, ut *Sigfr. à Feuchtwangen* post translatam Marpurgo Mariæburgum sedem, institutaque aut *renovata* potius (ut mihi quidem videtur) nova Ordinis Munera a) supremo Hospitalario fixam *Elbingæ* sedem adsignaverit,

verit, hancque dignitatem cum ejusdem loci Commendatore conjunxerit, nisi forte statuamus, primarium aliquem Hospitalarium ibidem antea jam substitisse; quanquam ne sic quidem dubium plane solvitur, cùm *Waisselius* ex Ordinis Chronico testetur, magnum Commendatorem æque ac Ordinis Mareschallum, adeoque fortassis etiam supremum Hospitalarium non demum à Sigfrido Feuchtwangen, sed jam ab *Herm. Salza* institutos fuisse. b)

a) M. WAISSEL Chron. f. 104. b.

b) Idem ibid. f. 45.

SERIES CHRONOLOGICA
COMMENDATORUM ET HOSPITALARIORUM ELBINGENS. EX DIPLOMATIBUS ALIISQUE HISTORIÆ MONUMENTIS ERUTA.

1246. Fr. ***ALEXANDER*** sub titulo Commendatoris in Elbingo Privilegio fundationis hujus Civitatis subscripsit.

1251. Fr. ***HARTMUNDUS*** Culmensi privilegio ab Everh. von Seyne renovato subscripsit se Commendat. in Elb.

1263. — *Idem* Mandato Magistri generalis de finibus regundis.

1275. Fr. ***HILEBOLD*** s. ***HELIBOLD*** Commendator Elbingæ fuit juxta msct. Rhod.

1276. — *Idem* inter testes reperitur Donationis Samborii Pomer. Ducis, Ordini Teuton Elbingæ 1276. 4. Kal. April. factæ. (vid. *Acta Boruss.* Tom. III. p. 287.) Nec
1272. dubito eundem esse, qui ao. 1272. una cum *Helvico de Goldbach* Commendatore Christburg. à Pogesanis,
1279. & postea ao. 1279. à Barthensi quodam captus fuit, referente *Dusburg.* p. 267. & 301. conf. p. 344.

1285. Fr. ***HEINRICH v. THIERBURG*** à Nobiliss. Historiæ Commendator. & Hospitalarior. Autore p. 45. eapro-

propter inter numerum eorum refertur, quòd hoc anno privilegium super 23 mansos *Serpino*, Elbingensis ditionis pago contulit, licetsi se neutiquam *Commendatorem Elb.* sed Gebietiger der Brüder des Deutschen Hauses von Jerusalem nominaverit. Observamus tamen 1) Thierburgi hujus nullam neque in *msčto Rhodiano* nec *Hoppiano*, ubi de Commendatoribus & Hospitalariis Elbing. agunt, mentionem fieri. 2) Infra ad ann. 1332. videbimus, *Luderum* Ordinis Fratrem & Ducem Brunsvic. etiam privilegium super Wogenap ditionis Elbing. dedisse, neque tamen Commendatorem Elbingens. fuisse, sed alium quendam Sifridum Sitting.

1286. Fr. CHUNO (*sive Heinrich de Cunce*) *Commendator in Elbingo* privilegio fundationis Regiomont. à Conrado de Thierberg dato subscripsit prid. Kal. Maj.

Hunc postea ao. 1300. Commendatorem Brandeburgi extitisse, docet *Düsburg* p. 344. & 350.

1287. *de* SPIZ, Commendator in Elbingo.

Fr. DIETRICH *v. Speyer* s. *de Spire*, unus procul dubio idemq; fuit, errore ex male lecta littera r pro z orto.

1288. Nam privilegio Burch. v. Schwenden Elbingæ dato subscripsit *Dietr. de Spire*, qui & in msčto Hopp. *von Speer* nominatur.

1289. CONRADUS quidam *de Elbingo* Transactionis inter Episcopos Plocensem & Culmensem factæ testem sese professus fuit, (Act. Bor. Tom. III. p. 269.) utrum verò sequens fuerit, audacter affirmare nolim.

1300. CONRADUS *de* LICHTENHAYN privilegium dedit super Baumgarten / in quo titulus ejus: Wir Conrad von Lichtenhayn / Bruder des Ordens S. Mariä

riá des Deutschen Hauses von Jerusalem und Comptur zum Elbing.

1300. — *Idem* XII. Kalend. Jun. privilegium dedit super villam Reichenau/ quod postea Werner v. Tettingen confirmavit.

1301. — *Idem* super 30 mansos pagi Schönenbusch privilegium contulit.

Hunc Conradum postea 1304. Commendatorem Brandeburg. fuisse legimus.

1305. *HENRICUS de GERA*, Commendator Elbing. VII. Kal. Aug. privilegium dedit super Neukirch.

Notandum, hunc Henr. de Gera s. Gudelinum in mscto Hopp. Provisorem domus (Haus-Comptur) nominatum Catalogo Commendator. Elbing. inseri, Wildeburgum verò plane omitti.

1308. — *Idem de Gera* privilegium dedit super Eberhardsdorff/ cui inter testes subscripsit *Frid. de Wildenburg, Socius.*

1314. Fr. *FRIDERICH de WILDENBURG*, triennio ante Commendator Regiomont. (teste Düsb. p. 368.) cuidam Michaeli aliquot mansos ad Schönmor pertinentes concessit sub tit. Hospitalarii & Commendatoris Elb.

1315. — *Idem* privilegium dedit super Steinort.

1316. — *Idem* super Rapendorff.

— — — *Idem* super taberna in pago Schönenberg.

1320. *HENRICUS de CZENSENBERG* s. *Creusenberg* tabernam in Wecklitz concessit.

— — Fr. *HENRICUS de YSENBERG* privilegium super tabernam in Wecklitz postridie Fest. S. Barthol.

1320.

1320. — *Idem* privilegium dedit super **Stobäyn**/ quod Tomo IV. **Erl. Pr.** pag. 47. perperam anno 1325. attribuitur, cum ex ipsa Privilegii inspectione pateat, illud a. M.CCC.VICESIMO, V. Kal. Septbr. datum esse, adeoque *Düsburgum* haud errasse, quando P. 3. Chron. cap. 353. Ysenburgum a. 1325. Commendatorem Regiom. exstitisse asserit.

Facile mihi persvaderi patior, duos istos Commendatores unam eandemque personam fuisse, temporis nimirum ratione apertè id evincente.

1321. *FRIDERICUS de WILDENBURG* loco cit. p. 46. Kunoni Prusso privilegium super aliquot mansos in **Wecklitz** dedisse, in eoque **des Ordens unserer lieben Frauen des Deutschen Hauses zu Jerusalem/ Meister in Preussen** sese nominasse dicitur. Crucem hoc jam figit *Hartknochio* in not. ad Düsburg. pag. 374. *Magistros provinciales* tum jam diu abrogatos, recte adserenti. Perperam quoque Adlerhold pag. 248. **des gepries. Preussens** prætendit, *Fridericum* hunc a. 1320. in locum occisi Magni Commendatoris venisse, atque etiam a. 1322. in hoc munere bella gessisse: *Düsburgus* enim p. 392. expressis verbis dicit, eum ut *Vices gerentem Magistri generalis* hanc expeditionem suscepisse. Quibus si fidem adhibeamus, facile concedemus, potuisse Eum in hac dignitate constitutum privilegium istud conferre.

1320. Fr. *HERMANNUS v. OETTINGEN*, Commendator domus Elbing. privilegium dedit super **Monsterberg**/ dat. Sabbatho ante festum S. Martini.

1321. — *Idem* privilegio *Friderici de Wildenburg* supra citato *Commendatorem Elbing.* se subscripsit, ex quo adserti supra facti veritas clarius adhuc adparet.

1323.

1323. — *Idem* privilegium super Fürstenau/ de quo vid. infra ad an. 1446.

1324. — *Idem* privilegium super taberna in Haselau concessit.

— — — *Idem* infra octav. Assumpt. S. Virg. super Bircklau.

1326. — *Idem* super pagum Schönnenberg.

1327. — *Idem* Commendator & supremus Hospitalarius Elbing. Ita primùm se privilegio fundat. *Werneri ab Orselen* Kniphofiæ hoc anno dato subscripsit.

1329. — *Idem* privilegium dedit super Ebersbach.

— — — *Id.* contractum super 2 mansos Truncenses confirmavit.

1330. — *Idem* privilegium super molendinum Klauckendorff ab *Henr. de Gera* datum renovavit.

— — — *Idem* super caupona privilegium dedit ante diem Palmar. in quo se *Hospitalarium Domus Teut. & Commend. in Elbingo* nominat.

1331. — *Idem* Hospitalarius Ordin. domus Teut. beatæ Mariæ & Commend. in Elbingo, VI. Kal. Febr. privilegium dedit super M. Behm, in quo mentionem *Henrici de Gera* facit.

1332. *OTTO von DREHNEN* supremus Hospitalarius & Commendator in Elbingo, in privilegio quodam *Henricum de Licke*, Provisorem domus Hollandiæ (Hausspittler) socium suum nominat. v. Erl. Preussen T. IV. p. 456. in not.

1332. *LUDERUS* VI. Kal. Nov. privilegium dedit super Wogenap/ cujus initium est: Wir Bruder Luder/ Bruder

des

des Ordens des Hospitals S. Mariä des Deutschen Hauses von Jerusalem / und von Gottes Gnaden gebohrner Hertzog von Braunschweig. Constat, hunc Luderum jam anno priori supremum Ordinis Magistrum electum fuisse, quo tamen titulo hic abstinuit. Observandum tamen, huic privilegio

SIFRID v. SITTING Commendat. Elbing. subscripsisse.

1335. *SIGFRID de CZIRKEN* Hospitalarius Domus Theuton. Hospitalis S. Mariæ & Commendator Elbing. privilegium dedit super Haselau.

1336. — *Idem* super Judendorff.

1339. — *Idem* subscripsit privilegio *Dieterici ab Aldenburg* Elbingensibus dato, ex quo patet, sequentes

SIEFFERT von GÜTTEN &

SIGFRID von ZICKLE unum eundemque cum *Sigfrido*

1340. *von Czirken* esse, de quo msct. Rhod. dicit: A. 1340. war Br. Siegfr. von Czirken Spittler und Comptur / Joh. Krausbein aber Unter-Comptur zum Elbinge. Imo verò parum abest, quin *Sifridum* illum *von Sitting* ex privilegio *Luderi* adductum pro eodem quoque *von Czirken* habeam.

1341.] Fr. *HENRICH de RABENSTEIN* privilegium quorun-
1344.] dam in Wolffersdorff confirmasse dicitur p. 49.

De hoc Rabensteinio nihil nisi ad ann. 1340. in utroque mscto Rhod. & Hoppiano invenio, verendumque adeò, ut in serie Commendator. recte ponatur, cum hac ratione duo Commendatores, nempe hic & *Alexander de Koruce* simul Elbingæ fuerint oporteat, prout ex Chronologia patet, quod tamen neutiquam est verosimile. Adhæc Alexander iste in privilegio 1346. dato *Sigfridum Czirken* antecessorem suum nominat, non verò Henricum de Rabenstein. Plura videsis infra ad a. 1440. & 1441.

1344. *ALEXANDER de BORVTE,*
ALEXANDER de KORVCE,
ALEXANDER von KüHNEN, alii *Kobnic* s. *de Konice,* citra ullum dubium una eademque est persona, quæ ex malè lecto temporum istorum *caractere gothico* tam varie contorta fuit. Mihi quidem ex inspectione unius ab hoc *Alexandro* dati privilegii verum ejus nomen *de Konice* s. von Konitz esse videtur.

1346. - - - *Henr. Döring* zur Jungfehr libertatem varia vendendi victualia concessit.

1347. — *Idem* privilegium dedit super Bömischguth.

— — — *Idem* Conradi de Lichtenhayn privilegium super molendinum Reymero datum confirmavit.

— — — *Idem* privilegio Neostadio Elbing. a *Dusnero* dato subscripsit.

1348. — *Idem* super 3 mansos in Langenwick/ cui inter testes Fr. *Johannes,* Subhospitalarius Conventualis in Elbingo nomen dedit.

1349. Fr. *HERMAN RVDORF,* supremus Hospitalarius &c. privilegium dedit super 2 mansos in Plonen/ eodemque anno privilegio cuidam *Henr. Dusneri* subscripsit.

1353. Fr. *ORTOLF* s. *Orthulf de TRIRE,* Commendator Elb. privilegium contulit super 11 mansos in Königsdorff/ cujus inter testes Fr. *Fridericus de Tire* Haus-Comptur legitur.

1357. — *Idem,* Hospitalarius Ord. S. Mariæ & Commendat. Elb. privilegium dedit super Dörbecke.

1359.

1359. — *Idem* Tolkemitensibus privilegium piscandi in Habo.

1361. — *Idem* super 6 mansos cuidam Schumacher dedit, cui *Jo. Braband* **Unterspittler** subscripsit.

— — — *Idem* privilegio *Wunrici a Kniprode* subscripsit.

Observ. hunc Ortulffum ab aliis *Dittloff*, it. *Reyer* & *Tiner* appellari.

1365. — *Idem* privilegium dedit super **Grunau**.

1367. — *Idem* super mansum in **Wolffsdorff** / dat. die Lunæ ante festum Mariæ Magd. in qvo *Ordolff v. Trire* legitur.

1370. Fr. *VLRICH FRICKE*, supremus Hospitalarius & Commendator in Elbingo, privilegium contulit super 2 mansos in **Wecklitz**.

Sphalma igitur est ingens typographicum, quando P. IV. **Erl. Pr.** p. 50. annus additur 1363.

1376. — *Idem* super villa **Laucke** / in quo inter testes legitur *Vlrich* **unser Spittler zum Elbing** / quod quid sibi velit, haud divinare possum, nisi forte is Subhospitalarius fuerit.

1377. — *Idem* super mansum in **Bartkamp**.

1379. — *Idem* super prata ad Habum.

1380. — *Idem* privilegium dedit super **klein Stobay** / cui *Vlrich v. Mellingen* Hospitalarius subscripsit.

1381. — *Idem* super hortum & villam in **Haselau**.

1384. — *Idem* super pratum **zu Wecklitz** / dat. Domin. Oculi.

In Bulla Gregorii XI. Papæ apud *Treterum* inter testes cernitur *Ulricus Ulrikke*, summus Hospitalarius & Commend. in Elbingo, qui procul dubio hic Ulricus Fricke esse debet. vid. *Treter.* de Episc. Varm. p. 26.

1385. *SIGFRID WALPODE* s. *Walpot de BASSENHEIM* s. *Passenheim*, (nam utroque modo scriptum legitur) summus Hospitalarius & Commendator in Elbingo privilegium dedit super 2 mansos in Bartkamp/ die Martis ante Mar. Magd.

1386. — *Idem* privilegio *Luderi* (vide supra ad an. 1332) a *Conrado Zölnero* hoc anno renovato subscripsit.

1387. — *Idem* super Krebsdorff / in quo Fr. *Sigfridi von Czirken* Commendatoris Elbing. meminit.

— — — *Idem* super pratum in Meißlatein.

1388. — *Idem* super Hoppenbecke.

1389. — *Idem* privilegium dedit super Neuendorff.

1392. — *Idem* super unum mansum zu Plonen / cui Fr. *Tyle von Lorich* Subhospitalarius subscripsit.

1398. *CONRADVS de KYBVRG*, supremus Hospitalarius & Commendator Elb. privilegium dedit super mansos Sculteti in Meyboom / dat. Montag ante Valent.

— — — *Idem* super aliquot mansos in Meyboom / cujus inter testes *Peter Berdisch* Subhospitalarius reperitur.

Hujus *Conradi*, in serie Hospitalarior. Prussiæ illustr. plane omissi, mentionem quidem facit *msctum Hopp.* sed è contrario sequentes duos silentio præterit.

1402. *CONRADVS de LICHTENSTEIN*, supremus Hospitalarius & Commend. in Elbingo, privilegium concessit super Herrendorff.

— — — *Idem* privilegium dedit super cauponam ad Clementsfehr.

Hunc Conradum a. 1404. in locum *Wilhelmi de Helfenstein* Commendatoris magni cessisse, Conradi vero locum Commendatorem

rem Christburg. *von Rumpinheim* occupasse, docet *Lindenblatt* Chron. p. m. 86. ubi ait: Ao. 1404. am Tage sante Blasii ward Herr Wilh. von Helffinstein der Groß-Compthur synis Amptis irlosin / unde ward kumptur zu Graudentz / unde Herr Cuncze von Lichtenstein der komptur vom Elbinge ward Großkomptur / unde von Rumpinheim komptur von Cristburg ward komptur zum Elbinge &c.

1404. *N. von RUMPENHEIM* ex Commendatore Christburgensi fit Elbingensis, sed eodem adhuc anno obiit, teste *Lindenblat* l. cit.

CONRADUS Comes de Schwartzenburg. Hic quidem cûm Adlerhold inter supremos Hospitalarios refertur, quâ verò fide, haud video, cum nullibi aliqua ejus mentio fiat, & adhæc sequeretur, Hospitalarii munus illo tempore à dignitate Commendatoris diremptum fuisse. Sed omnem litem dirimit *Lindenblat* ad an. 1404. p. 89. his verbis: Dornoch vorstarb Her Rumpinheym / Comptur zum Elbinge / unde an syne stadt wart Comptur Her Wernher v. Tettingen.

140$\frac{4}{5}$. *WERNERUS de TETTINGEN* f. von Tettau / supremus Hospitalarius & Commendator Elbing. privilegio *Conradi de Jungingen*, Magistri gener. super unum mansum in Serpin subscripsit festo 3 Regum

Wernerus hic de Tettingen apud *Lindenblatt* ad ann. 1402. p. m. 77. Ordinis *Mareschallus* audit, qui in magna illa adversus Lithuanos expeditione morbo correptus munus istud *Wlh. de Helffenstein* magno Commendatori tradidit. Deinde ad annum 1404. Commendator Elb. factus dicitur ex supremo Mareschallo, sed statim addit rationem: wend her czu krang was das czu verwesen. Postea ao. 1407. in defuncti modo Magistri locum *vices-gerens* ejus electus fuit, teste *J. Lindenblatt* Chron. p. 95. Idem a. 1410. cum Commendatore Thorun. ad Regem Hungariæ ab Ordine missus fuit, pag. 114. unde redux Elbingensis ditionis copias ad bellum contra Polonos duxit, & *solus* ferè, si *Lindenblat* fides habenda p. 121. ex clade Tannenberg. rediit. Tandem verò a. 1412. ab Ordine ad pacificationis negotium cum aliis in Hungariam missus in itinere Caschoviæ diem obiit supremum. *Lindenbl.* l. c.

 1413.

1413. Fr. *HERMANNUS GANS*, supremus Hospitalarius &c. privilegio *Henrici Reuss von Plauen* Samlandis ratione liberi lignorum usus hoc anno dato subscripsit.

Sed eodem anno in locum remoti *Henrici* supremi Magistri vices ejus gerens electus legitur apud *Lindenbl.* p. 139.

1414. — *Idem* ipse privilegium concessit super Grunau.

1415. — *Idem* d. 13. Octobr. piscatoribus zu Kämersdorff/ &
— — — — Mercurii Quasimod. super Rogau privilegium dedit.

Hic quidem *Hermannus Jonas* supremus Provisor Hospitalium insertus legitur; quia verò non *Elbingensis* sed *Christburgensis* Commendator fuit, merito & à msctis Rhod. atque Hopp. & à nobis hic omittitur. Interim conf. Erl. Preuss. loco cit. p. 42. & 51.

1417. *HENRICUS HOLT*, supremus Hospitalarius & Commendator Elbingæ jam fuisse dicitur *Lindenblat.* Chr. p. 170. referenti, eum hôc annô cum aliis Ordinis Commendat. ad *Concilium Constantiense* missum fuisse.

1424. — *Idem* duo privilegia super cauponam ad Kahlenberg/ it.
1426. Salmenhoff dedit.

1429. — *Idem* Elbingensibus privilegium liberæ piscationis & tabernæ ad Vogelsang dedit. Erl. Pr. l. cit. p. 51. ubi ex *Waisselii* Chronico Commendator quidam Elbingensis *Henricus Gold* dictus memoratur recteque judicatur, hunc eundem cûm nostro Holtio esse.

*1429. *HENRICUS REUS von Plauen*, supremus Hospitalarius & Commend. Elbing. privilegium dedit super Neuhoff/ cui subscripsit *Nic. Neckeritz* Subhospital.

1430. Fr. *CONRADUS de BALDERSHEIM*, supremus Hospitalarius & Commend. Elbing. super 3 mansos in Pomörendorff privilegium dedit, in quo *Henricum Holt* unsern Vorfahr nominat.

1432.

*1432. *HENRICUS REUS* iterum, privilegio *Pauli de Rusdorff* super Cadinen ut supremus Hospitalarius subscripsit.

1440. *HENRICUS von RABENSTEIN*, supremus Hospitalarius domus S. Mariæ &c. Transactioni inter Magistrum generalem Ordinis & Conventum an. 1440. initæ subscripsit, teste *Schützio* p. 144.

1441. — *Idem* super 8 mansos in Wolffersdorff privilegium dedit, in quo se præter supremum Hospitalarium &c. etiam Haus-Comptur zu Elbing nominat.

Ex his cùm evidentissime pateat, hunc Henricum de Rabenstein hoc tempore supremum Hospitalarium fuisse, neutiquam perspicio, quomodo *anno* jam *priori*, & quidem *Mareschalli Ordinis* dignitate, quæ inter summas *altera* est, præditus Privilegium dederit, nisi statuamus, eum fortassis hoc eminentiori munere ultro sese abdicasse. Cæterum valde suspectum mihi videtur, duos Hospitalarios ejusdem nominis & cognominis integro seculo accuratissime intercedente fuisse, quin imo paria fere privilegia dedisse. Atque hinc penitus persvasum habeo, errorem istum *ex improvida temporis notatione* ortum, ac *priorem* adeò ex hac serie prorsus eliminandum esse.

1444. *HENRICUS REUS von Plauen* privilegium super Ebersbach melioravit.

1446. — *Idem* privilegio munivit pagum Neumarck.

1447. — *Idem* super molendinum ejusdem pagi privilegium concessit, cujus inter testes memoratus supra *Nicol. Nickeritz* Subhospitalarius apparet.

1451. — *Idem* super 9 prata in Meißlatein.

1465.] — *Idem* privilegiis *Ludovici ab Erlichshausen* Magistri generalis super Schönfeld & Hirschfeld subscripsit.
1466.]

Duo ista privilegia ad ann. 1429. & 1432. superius asterisco notata de integritate eorum valde dubium me reddunt, cùm duo alii supremi Hospitalarii interveniant, *Conradus* nimirum *de Baldersheim* & *Henricus von Rabenstein*, quam tamen litem ex defectu inspectionis ocularis dirimere nec possum nec audeo.

§. 6.

§. 6.

Atque ad hæc quidem usque tempora ſeriem Hoſpitalariorum ac Commendatorum Elbingenſ. deducere placuit: mutatâ enim per pacem, hoc anno 1466. Polonos inter & Cruciferos ſancitam, Pruſſiæ facie, translatâque Hoſpitalarii ſupremi aliorſum ſede, extra oleas vagare viderer, ſi reliquos ſollicite conquirere allaborarem. Confer. interim Erl. Pr. loco cit.

§. 7.

Cæterum ex hisce ſatis, ut opinor, ſuperque elucebit, quantis adhuc Pruſſiæ, ac Ordinis præſertim Crucigerorum hiſtoria dubiis laboret atque difficultatibus: quinimo quantum illa lucis ex conquiſitis undique *diplomatibus* accurataque eorundem inſpectione fœnerari queat. Quo circa Virum Excellentiſſ. hiſtoriæque patriæ indagatorem ſolertiſſimum DN. D. VOLBRECHTUM hic publicè perquàm enixe rogamus atque compellamus, ut fidem de *Diplomatario Pruſſiæ* edendo, in Pruſſia illuſtrata paſſim datam, quantocius exſolvat.